

THESIS XI.

Scala altaris holocaustorum major carebat gradibus.

§. 1.

Non sine fastidio gradus cernuntur in scala majore, cum tamen lex Mosaica gradus prohibeat, ceu expressis verbis legitur Exod. 20. v. 26. unde & illa scala Cebhesch sive clivus vocabatur, quod gradibus careret, quod cum aliis Judæis communi consensu affirmant *Don Isaac Abarbanel in Perusch battora edit. in Venet. in fol. f. 177. col. 3.* & *Josephus Karo in Cesepb Mischne in Majmonidem de domo electa. c. 2. §. 13. edit. Venet. minor. fol. 169. p. 1.*

§. 2.

Videntur autem illæ imagines, quæ gradus exhibent, originem duxisse ex *Bibliis Angliis Cantabrigiensibus majoribus*, ubi scala magnifice cum gradibus delineatur, cum tamen eruditiores Angli ipsimet gradus scalæ huic dene- gent, ut ex illorum scriptis Philologicis passim apparet; cir- cuitus tamen altaris circa mensam marmoream recte ex- pressus est, qui in aliis altaris hujus imaginibus male omit- titur.

§. 3.

Quod ad rationem attinet, cur carere scala gradibus deberet, ne scilicet retegeretur sacerdotum nuditas, exi- stimat *Joannes Clericus in commentar. in Exod. p. 99. Sacer- dotes sine subligaculis sive femoralibus quandoq; fecisse sacra*
laxio-